

Triller:  
De vinculo  
quo medicina  
cum jurispra-  
dencia coha-  
ret.

Viteborgae:  
1773.



V

P

L

N

C

EXERCITATIO  
DE  
VINCULO QVO MEDICINA CVM  
IVRISPRUDENTIA COHAERET  
Q V A M  
PATRI SVO VENERABILI  
AC CARISSIMO  
DANIELI WILHELMO  
TRILLERO

PHIL. ET MED. DOCTORI  
NATALEM OCTOGESIMVM TERTIVM

FAVSTE R E D E V N T E M  
CELEBRANTI

D. D. D.

FILIVS OSEVENTISSIMVS  
CAROLVS FRIDERICVS TRILLERVVS  
IVRIS VTRIVSQUE CULTOR

Vitebergae die X. Februarii A. MDCCCLXXVIII.

LITTERIS CAR. CHRIST. DÜRRII





§. I.

Scribendi ratio.



ngratus sane, tamque Venerando  
Patre prorsus indignus filius, fo-  
rem, si illum diem, qui mihi, Deo  
Propitio, felicissime illuxit, silentio  
praeterirem, nec **TIBI, DILECTE PATER,** ani-  
mi mei pietatem, reuerentiamque publice signi-  
ficarem. Cuius officii ante annum me imme-  
morem fuisse, quidam existiment. Sed me  
omni culpa vacuum probare possum. Quae-  
dam enim pro ingenii imbecillitate conscripse-  
ram, quae tamen publice edere non poteram,  
quia prela typographica laboribus vrgebantur  
constitutis. Hinc hodie in honorem huius  
diei, mihi laetissimi, ac gratissimi *de vinculo*  
*quo medicina cum iurisprudentia cohaeret*, pauca  
differam. Noli, **PATER CARISSIME**, auda-  
ciam illam aegre ferre, qua aruum plane alien-  
num perarare videor, et grauitati et doctrinae  
**TVAE** haud congruas profero quaeſtiones.  
Fortassis me quis coeco, de colore iudicanti,  
ſimilem pronuntiabit, quum artis medicae  
ignarus, me inter medicos, ceu graculus inter  
pauones inimisceo. Ardua res agitur, nec a-  
liter institutum defendere possum, quam par-  
tim quod **TE**, Medicum inclytum veneror,  
partim quod, ceu transfuga, ſcholas Medicorum  
interdum transfi. Interim nihil magis

in votis habeo, quam ut coeptis nostris fauere,  
atque illa non ingenio, sed animo pio diiudi-  
care velis.

§. 2.

*Medici et Icti officium ex eodem deducitur argumento.*

Artis salutaris si originem respicimus, illam honorificam, si utilitatem, maxime necessariam cognoscimus. Licet medici ex aliorum calamitatibus ac doloribus compendium sectari dicantur, ut iam olim PHILEMON dixit:

'Ως νανῶς ἔχει ιατρὸς, οὐ νανῶς μηδεὶς ἔχῃ.

Quam male habet medicus, si male nullus habet; illi tamen morbos non producunt, sed illorum impetus fistunt. Quod si verum esset, de iurisperito quoque valeret, quod ex iracundia ac strepitu fori lucrum speraret, Deumque imploraret, ut lites multiplicantur. Sit procul, <sup>a)</sup> HOMERVS, de medico sic canit, quod fit σὺν τοῖς αἰλλῶν αὐτάξιος ἀλλῶν, vir prae aliis honorandus, rationem addens: quia sagittas excidit, et mitia medicamenta inspergit. Summo etiam iure medicaars venerabilis habetur. Ex humani enim corporis artificioissima compositione, Deum esse, liquido et vnicē demonstrari posset, si aliis probationibus destitueremur. Habet etiam amoenitates suas, quibus ductus studio illam addiscendi semper flagrāui, si naturam, nauseamque expellere potuisse. Sed nunc Medici et Icti officium

inter

a) Iliad. Lib. II. v. 514.

inter se comparemus. Medicus amissam in corpore humano sanitatem restituit, praesentemque conseruat; Ictus scelera vlciscendo, amissam reipublicae sanitatem, quae est securitas, restituit, praesentemque, legibus ferendis, constituit, ac praemunit. Ille immedicabile vulnus resecat, ne pars sana ac sincera trahatur, hic facinorosos tollit, ne membra reipublicae adhuc integra, prauo exemplo, ceu contagio infecta, rapiantur. Non minus enim patriae prouidet, quam si eam vulneribus salvaret l. 14. C. de aduoc. diu. iud. Leges quoque medicum arcent, ne quid ante morbum curatum, vel in periculo mortis sibi stipuletur l. 9. C. de Prof. et Med. et Icto pacto de quota litis interdicunt, vti L. 5. C. de postul. et lege Cincia cauetur. Lepidum exemplum pauci, a medico cum aegroto initi, habetur in l. 3. π. de extraord. cognit. qui aegrum compulerat, amittendorum oculorum periculum inferendo, vt sibi possessiones suas venderet. Denique quoque vterque ad omnem culpam tenetur, quia artem profitetur, et medicus, qui serum imperite secuerit conueniendus censetur. l. 7. §. 8. π. ad L. Aquil. Ceterum de medicorum priuilegiis atque immunitatis legi meretur M<sup>E</sup>NAGIVS in amoen. iur. ciu. cap. 35. seqq.

### §. 3.

*Quæstiones, an feminæ homines? et cur citius pubescant? mouentur.*

Hominibus varia iura pro diuerso statu

competere, iuris expediti est. Feminas igitur a masculis partim natura, partim lege discrepare, hoc liquet, ipsas vero ab hominibus separare, bonis moribus ac rationi repugnat. Hinc pro ipsis causam acturus, iniuriam illam acerrime vindicabo, si modo pro patrocinio se gratas exhibeant. Tota vero lis, ac quaesita differentia dimanavit ex l. 38. π. §. 5 de poenis, vbi verba captant: *si mulier aut homo perierit, quae sibi inuicem opponi, autumant, qua in opinione versatur ipse* <sup>b)</sup> *CVIACIVS quem secutus est* <sup>c)</sup> *WESENBECHIVS.* Sed res clara est, oppositio enim est alternatiua non aduersatiua. Vox *hominis* interdum ob excellentiam sexus virum notat, sicuti etiam apud veteres occurrit, vti apud AESCHINEM ἀνθεωπος ηγη γυνη legitur. Quid, ipsae leges clarae sunt, e. g. l. 1. π. de V. S. et l. 152. ei. tit. vbi CAIVS, *hominis appellatione*, ait, *tam feminam quam masculum contineri.* Qua iniuria sublata, grauiorem vlturus prodeo. Feminae in iure citius ad pubertatem perueniunt, ac masculi, et veteres eam rationem fingunt, quia *mala herba citius cresceret*, quam refert Acursius ad L. 2. §. 1. C. de his qui ven. aet. impetr. eam vero in odium seminarum esse extortam, quis est qui nesciat. Quae opinio ex notis illis versibus orta:

*Vt lolium segetes crescendo vincit, et alte  
Emicat, hortorum carduuus inter opes.*

*Femina*

b) Lib. 6. ebf. 21. c) ad L. Corn. de sicariis n. 5.

*Femina sic maribus citius consurgit in auras,*

*Femina non ullum ferre parata modum.*

*Ni mirum prauae crescent velocius herbae,*

*Femina quas inter connumeranda venit.*

Sed probabiliores alii amplexi sunt sententias.<sup>a)</sup> MACROBIVS dicit: *feminae propter votorum festiuitatem maturius biennio legibus liberantur.* Verior tamen videtur ratio, quod vir diutius excolendus, tardius ad perfectionem perueniret. In feminis enim viridior aetas deprehenditur, immo ipsis parum nocet et prodest, quod citius pubescant, et maiorennes fiant, cum sub perpetua cura sunt et nihil per se peragere possunt.

#### §. 4.

*Quid de Hermaphroditis sit sentiendum.*

Homines in iure diuiduntur in masculos, feminas et Hermaphroditos. Quid per ipsis intelligatur, hoc statim compositio verbi indicat, quod deriuatur ab Ἔρμην, i. e. Mercurius, et Ἀφροδίτη, i. e. Venus. Fabulam, vnde orti esse dicantur, satis describit <sup>c)</sup> OVIDIVS, qui inter alia haec canit:

*Nec duo sunt, et forma duplex, nec femina dici,*

*Nec puer ut possint, neutrumque et utrumque  
videntur.*

Hinc etiam Mercurius in antiquis marmori-  
bus mox tanquam mas, mox tanquam femina  
pingitur, pariterque Venus sic spectatur. Sed  
nunc videamus, an reuera sint Hermaphrodit*i*.

Veteres eorum mentionem fecerunt, vt<sup>f)</sup> PLINIUS qui, gignuntur, ait, homines utriusque sexus, quos Hermaphroditos vocamus, inde poetae de iis ita cecinere:

*In quo Mercurii facies, Venerisque videtur,  
Nec vir nec virgo est, hermaphroditus homo est.*

Quamvis vero antiqui scriptores illorum meminerint, fuere tamen nonnulli, qui illos commentarios putarent. Media sententia est tutissima ab Hallero, nuper cum immortali laude mortuo, accurate tractata, T. 1. commentariorum Gottingensium. Omnis enim defectus atque excessus in credendo periculofus est. Non omnes natura tales sunt, quales esse videntur. Genitalia interdum ita nos decipere possunt, vt vtrumque sexum oculis fistant, licet modo unus reuera deprehendatur, si inspectio a medico sagaciore instituatur. Et ita explicandum esse locum censeo, a<sup>g)</sup> GELLIO adductum, in quo exempla assert seminarum, quae in mares mutatae, illaque non fabulosa esse asserit. Recentiora quaedam addunt exempla Montagnius in Essais 1. 20. et Leibnitz in otio Hannouerano p. 432. Sed talem mutationem feminae in marem nemo sibi fingere potest, nisi centauros fuisse, sibi persuadeat. Potius probabile est, memoratas feminas statim mares exstitisse, et tantum prima aetate sexum femininum prae se tulisse, qui succedente tempore in masculinum desierit.

Sed

*f)* in hist. nat. L. VII. c. 3. *g)* Noct. att. Lib. 9. cap. 4.

Sed alia ardua mouenda est quaestio, an hermaphroditus in utroque sexu valeat, quod plerumque negatur. Per rei naturam hoc fieri non posse experientia medicorum statuitur, et vere obtainere nequit, nisi nobis monstrum praeter naturam comminiscamur. Hinc semper in uno tantum sexu praeualent, cuius iure etiam fruuntur teste <sup>h)</sup> VLPIANO, puto, inquit, eius sexum aestimandum qui in eo praeualeat. cf. hac de re ALBERTI in jurisprud. med. cap. 2: §. 32. Sed quid? an hermaphroditus in feudo succedere possit, est quaestio a D D. ultero citro agitata. Alii aiunt, si sexus masculinus praeualeat, alii negant, nixi iure Prou. Sax. L. 1. Art. 4. quem textum tamen illi, qui successionem statuunt, de ostentis interpretantur, quod vox alluviel significaret.

### §. 5.

*Quando partus legitimus censeatur.*

Pater est ille, quem nuptiae monstrant, licet saepe personam patris falso sustineat. Sed de hoc casu non loquimur, verum potius de illo, quando pater vel absens vel mortuus fuit, et deinde partus superuenit, de quo dubitatur, an legitimus sit, nec ne. Grauissima tunc lis imminere potest, quae ratione successionis oritur. Sed nec leges, nec prisci Medici de iusto tempore vestigium, quod ingrediamur, reliquerunt. HIPPOCRATIS effato

<sup>h)</sup> 1. 10. π. de stat. hom.

nitur l. 12. π. de stat. hom. vbi PAVLV<sup>S</sup>  
 septimo mense nasci perfectum partum con-  
 tenuit. Interim tamen etiam legitimus habe-  
 tur, qui initio septimi mensis edebatur arg.  
 l. 3. §. 12. π. de suis et leg. licet PAVLV<sup>S</sup> in  
 recept. sent. Lib. 4. t. 9. septimum mensem  
 plenum requirat. *septimo mense*, refert, *natus*  
*(έπτάμηνος)* *matri prodest*; statimque rationem  
 suggerit, ob quam veteres septimo mensi, non  
 vero octauo inhaeserint, ita pergit: *ratio enim*  
*Pythagoraei numeri hoc videtur admittere, ut aut*  
*septimo pleno aut decimo mense partus maturior vi-*  
*deatur.* Constat numerum septenarium apud ve-  
 teres fuisse mysticum, ac sanctum. Praeterea  
 in sacrificiis plerumque numerus impar erat  
 solennis, ac religiosus, teste <sup>i)</sup> VIRGILIO:

— — numero Deus impare gaudet.

Interim diuersa nativitatis tempora recen-  
 set <sup>k)</sup> GELLIV<sup>S</sup> sequenti modo: *gigni*, ait, *ho-*  
*minem septimo rarerter, nunquam octauo, saepe no-*  
*no, saepius numero decimo*, qui ultimus numerus  
 probatur in l. 3. §. 11. π. de suis et leg. her.  
 et l. 29. pr. π. de lib. et posth. vbi nepotes ex  
 filio defuncto *decem mensibus* proximis nati, he-  
 redes scribuntur. Hinc etiam olim viduae  
 maritos per decem menses lugebant, quod  
 testantur PAVLV<sup>S</sup> in rec. sent. L. 1. tit. 21. <sup>l)</sup>  
 SENECA, atque <sup>m)</sup> OVIDIV<sup>S</sup>

Quod

i) Ecl. 8. v. 75. vid. etiam de numeri septenarii my-  
 steriis VARRO apud GELLIV<sup>M</sup> Lib. 3. c. 10.

k) Lib. 3. c. 16. l) in consolat. ad Heluiam cap. 16.  
 m) Fastor. 1. v. 38.

*Quod satis est utero matris dum prodeat infans*

*Hoc anno statuit temporis esse satis.*

*Per totidem menses a funere coniugis uxori*

*Sufinet in vidua tristia signa domo.*

post quod tempus vidua ad secunda vota transire poterat, et I. LIPSIUS in not. 192. ad loc. cit. SENECAE rationem praebet: *quia id tempus legitimae partitionis, ne proles incerta esset aut sanguis confusus.* Adsunt quoque exempla, quibus partus undicimelstris legitimus declaratur, vti ex Nouella 39. cap. 2. <sup>n)</sup> ARISTOTELE M. <sup>o)</sup> VARRONE, aliisque patet, duodecimelstris etiam a Cl. LEYSERO approbatur in Disp. de *partu duodecimeltri legali*, et Gracchum dictum volunt a gerendo, quod mater eius duodecim menses cum utero gestaverit. Immo <sup>p)</sup> PLINIVS narrat, matrem partum tredecim menses tulisse, cui etiam Praetor bona addixit, quia nullum certum tempus pariendi statutum ipsi videretur. Apud nos tamen, licet non sit in potestate mulieris, quando pariat, quia naturae diuersae, partus legitimus est, qui editur mense nono, nisi causae emergant, quae partum mox maturare, mox diutius refinere possint, quod morbus vel dolor efficere solet. Possem adhuc addere, quando partus animatus vel pocolo abortionis abactus dicatur, sed partim chartae

<sup>n)</sup> In hist. animal. Lib. 7. cap 4.

<sup>o)</sup> Apud GELLIVM loc. cit.

<sup>p)</sup> In hist. nat. Lib. 7. c. 5. vbi plura habet exempla.

chartae angustia, partim quia in alienum campum via deflexi, latius exspatiari prohibet.

§. 6.

*Medici in negotiis ciuilibus adhibetur auctoritas.*

In iure certi exstant tituli, a Medico optime explicandi. Inter quos ille de Aedilitio edicto in primis vocandus erit, vbi de redhibitione agitur. *Redhibitum sec. FESTVM est redditum: cum qui dedit idem rursus coactus est habere id, quod ante habuit.* Primo Icti distinguunt inter *vitiū et morbum*, qua de re <sup>q)</sup> GELLIVS veterum opiniones fusius recenset, vitium nimirum esse perpetuum; morbum cum accessu discessuque fieri, cui adspirat Modestinus in l. 101. π. de V. S. *morbus*, inquit, *est temporalis corporis imbecillitas, vitium vero perpetuum impedimentum.* Pari ratione morbus simpliciter positus, secernitur a morbo *sontico* arg. l. 4. §. 5. π. de aed. edict. qui cuique rei nocere dicitur l. 113. π. de V.S. Sub illo enim intelligebant morbum grauem, ac violentum, qui a necessitate in iudicio comparendi libabant, hinc non leuis febricula excusabat.. Reete <sup>r)</sup> MENAGIVS: *morbus sonticus*, inquit, *datus est non ab eo, quod vim nocendi, sed quod iustum legitimamque causam afferat, ut ne quis in iudicio sisti posset.* Legibus quoque XII. Tabl. sanctum fuit, si morbus, aequitas, vitium ue erat, qui in ius vocabit, iumentum dato, vbi tamen <sup>s)</sup> GELLIVS probe annotat, *morbum in hac*

<sup>q)</sup> L. 4. c. 2. <sup>r)</sup> In amoen. iur. c. 30. p. 353. <sup>s)</sup> L. 20. c. 1.

hac lege non esse intelligendum grauem, sed  
 qui corpus leuiter tantum afficeret. Hoc et-  
 iam humanitati Romanorum non respondis-  
 set, si aegrum morbo acutissimo correptum,  
 in ius, moribundum quasi, rapuissent. Sed  
 haec de morbo sufficient. Quid vitium pro-  
 prie fuerit, Doctoribus non vna eademque est  
 sententia. Leuissimo meo iudicio, illud  
 fuisse puto, quando ratione corporis membro-  
 rum mutilatio ac deprauatio, ratione animi  
 vero sensuum defectus deprehendebatur, ita  
 ut res emta speratum usum praestare non pos-  
 set. Interim *vitosus* et *morbosus* in iure pro  
 synonymis habentur. Mutus enim in l. 9. de  
 aed. ed. *morbosus* dicitur, cum *vitio* linguae non  
 morbo laborare videatur. **VLPIANVS** in l.  
 1. §. 9. cit. tit. *vitia animi* recenset, e. g. si fer-  
 uus fanaticus iracundus fuerit, et simul per  
*vitia corporis* morbos intelligit. Veteres ta-  
 men Icti redhibitionem indistincte non con-  
 cedebant, sed tunc demum, si vitium esset,  
 quod non ex negligentia, sed ex malo natu-  
 rae habitu oriaretur. Exemplum exstat in l.  
 12. §. 4. π. cit. t. vbi de seruo sermo est, gra-  
 ueolentia oris laborante, et Ictus bene distin-  
 guit, an ex illuie oris, vel ex *vitio iecoris*  
 vel pulmonum hoc acciderit, et tunc venditor  
 seruum retro accipere debebat. Vitium enim  
 tale vix sanari potest, si ulcus in hepate, seu  
 pulmonibus versatur, quod illum foedum odo-  
 rem efficit. Alium casum exhibit l. 14. §. 4.  
 π. ei.

π. ei. tit. qui loquitur de seruo, (sit venia verbis) in lecto mingente. Redhibitioni pariter locus non dabatur, si ex pigritia surgendi hoc fieret, nisi vitium in ipsa vesica lateret, quod accidit, quando illius musculi ac nerui nimis sunt relaxati. Sed haec omnia, licet seruos romanos non habeamus, utiliter tamen applicari possunt ad matrimonia, quippe quae, ob talia vitia rescindi, vel saltem separationem operari possunt.

## §. 7.

*Quatenus Medicus in homicidio poenam definit.*

Vbi definit in hac causa, Medicus, ibi incipit Ictus. Medicus enim in homicidio corpus delicti certum reddere, atque inquirere debet, num occisus praecise ex illo vulnere succubuerit. Si ille, num sit mortiferum vulnus, dubitat, poena nunquam in occisorem capitalis statui potest, quia in criminalibus probationes luce meridiana clariores requiruntur, nam semel vita amissa, Praetor deneget restitutionem in integrum. Hinc vulnera diuiduntur in *absolute*, et per *accidens*, lethalia. Priorum ipse meminit **HIPPONCRATES** Aph. 18. sect. 6. qualia sunt cordi inficta, quae, teste **OVIDIO**, ipse Epidaurius sanare non potest. Posteriora inopinato euentu, non per se, lethalia fiunt, si vel Medicus sero arcessitus, et haemorrhagia lethalis infecuta fuerit, vel in ipsa curatione quid omittitur, quod probatur ex l. 8. pr. π. ad L. Aquil. qua medicus

cus accusatur, qui initio bene secuerit, sed deinde curationem reliquit, vt aeger non ex illo ipso vulnere, sed ex negligentia in curando adhibita, naturae cederet. Leges expresse partim ad *inscientiam* medici, si quis mortuus esset, respiciunt, vt monet l. 52. pr. π. ei. tit. partim ad ipsius *imprudentiam*, si mala medicamenta, e. g. venena aegro propinavit, de quo casu sancit l. 7. §. 6. π. cit. tit. Interim lethalitas vulneris certa fieri nequit, nisi sectio legalis instituatur. Quam tamen sectionem, atque cadaueris inspectionem Cl. <sup>1)</sup> WERNHER tunc necessariam non putat, si quis statim, Vulnero accepto, decederet. Cautius vero omnino est, si adhibeatur, quia eo momento, quo quis, vulnero percussus, animam effluit, alia causa mortis superuenire potest, e. g. apoplexia, vt reuera, non ex vulnero, sed quia alia causa accessit, vulneratus exspiraret. Optandum esset, quoties quis inopinata morte raperetur, vt cadauer inspiceretur, praesertim si indicia adsunt, illud violento modo vel veneno sublatum fuisse. Hinc debet rem adhuc pauca de indiciis beneficii, atque infanticidii proferre. Quatenus tumor ventris, lac in mamillis, quod ipse <sup>v)</sup> HIPPOCRATES sub certo respectu etiam in virginibus statuit, indicia sint fallacia; quatenus pulmonum experimentum pro certo haberi possit, haec omnia, inquam, copiosius sunt ponderata in Medicina

<sup>1)</sup> P. 3. Obs. 152. <sup>v)</sup> Aph. 39. Sect. V.

dicina forensi. Quam ut quilibet, Theimidi addicetus, summo studio adquiscat, non solum utile, sed necessarium erit. Iudex enim, si medicus quid omisit, vitium emendare potest, actuarius vero qui in sectione legali registraturam conficit, inaudita nec recepta verba in eam non inferet, si terminis technicis adiutus erit.

## §. 8.

*Instituti applicatio.*

TIBI ingenii mei conatus qualescumque, PATER CARISSIME, non ingratos esse, certo persuadere mihi possum. Tu enim iurisprudentiae elegantiori maximopere faues, TIBIQUE leges, quas Corpus iuris continet sic notae sunt, ut aliquis legum peritum te data opera credat. Probas *tvam* in iure dexteritatem in explicanda lege difficillima de *publicanis* et *vestig.* cuius alteram partem orbis litteratus tam cuipide exspectabit, quam grata mente agnoscet. Sed nunc me ad id conuertam, quam ob causam TIBI has ingenii primitias dedicaui, quas laetitiae meae testes sistam. Deum ter O. M. sancte, animoque ad gratias agendas intime permoto, veneror. Viuis adhuc, et diem laetus celebras, quo ante octoginta tres annos, hoc fui*sti mundi* *dicatrum* contemplatus. Iustissima hodie mentem pertant gaudia, et vota, pro salute *tua* nuncupanda, sanctissima: ut dies saepius nobis exoptatus, TIBI faustus ac sine nube serenus redeat. Addat *TIBI* Numinis gratia annos, qui, HALLERO *tvō*, placida quidem sed orbi litterario semper nimis maturata morte erepti sunt. Vixit, et tamen adhuc viuit, Eiusque memoria aere perennior erit. *tv* vero diu artis *tvae* dignitatem extento vitae spatio tuere, ut gentis *tvae* incolumentem, academiae, *tvō* nomine insignis, decus, ac literarum ornamenta quain longissime propages.

AC

Ka 6212

ULB Halle  
006 663 508

3



~D~8



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



EXERCITATIO

DE

VINCULO QVO MEDICINA CVM  
IVRISPRUDENTIA COHAERET

Q V A M

PATRI SVO VENERABILI  
AC CARISSIMO

DANIELI WILHELMO  
TRILLERO

PHIL. ET MED. DOCTORI

NATALEM OCTOGESIMVM TERTIVM

FAVSTE R E D E V N T E M

C E L E B R A N T I

D. D. D.

Ka 6212

FITIUS Q E S E Q V E N T I S S I M V S  
C A R O L V S F R I D E R I C V S T R I L L E R V S

I V R I S V T R I V S Q V E C V L T O R

Vitebergae die X. Februarii A. MDCCLXXVIII.

LITTERIS CAR. CHRIST. DÜRRII

